



ut homines iam in baptismo configurati passioni Christi, mortificationem eius manifestent in corporibus suis, ut vita Jesu manifestetur in eis. ~~Xix~~ Et ita "revelata facie ~~facie~~ gloriae Domini speculantes in eandem imaginem transformentur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritus" (2 Cor. 3, 18). *amur*

Quae restauratio imaginis Dei in praesenti vita non potest plene adimpleri. Et sic homo tendit ad visionem beatificam Dei Unius et Trini, ubi Deus, finis desideriorum nostrorum, sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Tendit ad perfectionem caritatis et unionis, quando omnes filii Dei in corpore Christi adunati, in coelesti Hierusalem congregabuntur. Immo "omnis creatura, quae subiecta est vanitati non volens et ingemiscit et parturit usque adhuc expectat liberationem a servitute corruptionis" (Rom. 8, 20-21).